



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Cap. XIII. Caput 16. De Officiis Judicis ordinarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

mittere possit Abbati solemniter benedicto degradationem Clerici in Sacris Ordinibus constituti? Quæstio hæc cum superiore convenit in eo, quod in illâ de potestate conferendi Ordines agatur, in hac verò de facultate Ordines auferendi, vel potius eorum Symbola & exercitium: differunt autem, quod hæc Majores Ordines respiciat, illa autem Minores. In hujus quæstionis decisione negativam sequitur; quoad illam, affirmativam amplexus erat. Momentum ejus est, quod degradatio sit Officium Ordinis Episcopalis ita venerabile in se quondam habitum, ut sex Episcopi requirentur ad degradationem Presbyteri, tres verò ad degradationem Diaconi. Hodie etiam necessarium est, ut fiat ab Episcopo, totidem Abbatibus Mitræ ac Pedi jus habentibus adjuto, quot olim requirebantur Episcopi assistentes. *Conc. Trid. cap. 4. Sess. XIII.* sic præcipit. Verosimile est Fagnanum quæstionem prædictam proposuisse ad exponendum hoc Concilii Decretum. Circa hoc etiam laudat unam Cardinalium Declarationem, desinentem, Superiores Religiosorum Mendicantium non posse assistere in degradatione deficientibus Abbatibus, quoniam Concilium hoc in casu personas in Ecclesiasticâ Dignitate constitutas Abbatibus subrogat.

Cum sibi objecisset Episcopum in quibusdam casibus posse committere Ordinationem Abbatibus Presbyteris & benedictis, undè videtur sequi, degradationem in quibusdam casibus iis committi posse: respondet cum INNOCENTIO III. *cap. 2. de translatione* spirituales difficilius destrui, quam construi, quippe Episcopus solitarius potest dare Ordines, eos autem auferre non valet. Adjicere potuisset, comparationem Ordinationis cum degradatione hic insigniter claudicare; scilicet, commissio Ordinationis ad Ordines Minores tantum extenditur, degradatio autem Majores comprehendit Ordines.

CAPUT XIII.

Caput 16. de Officiis Judicis ordinarii.

Hoc in *cap. HONORIUS III.* enumerat omnia jura Episcopalia, inter quæ plura sunt, quæ exposita aut relaxata aut ordinata fuerunt alio modo, unde FAGNANUS occasionem accipit exponendi *cap. 2. 3. Sess. XXIV.* quod breviter exequitur à n. 25. usque ad 37. Unicum est, circa quod immoratur n. 48. usque ad finem. Semper habuit Episcopus potestatem singularem in poenitentiam; undè HONORIUS poenitentiam inter Episcopalia jura collocat. Ex his juribus FAGNANUS attingit solum facultatem casus reservandi, & potestatem convertendi poenitentiam publicam peccatori publico imponendam ad reparationem scandali, in poenitentiam arcanam, cum hoc saluti expedire judicat Episcopus.

Cum Concilium hic potestatem hanc soli Episcopo attribuat, videtur eam ipsi reservare, atque iis, qui ejus auctoritatem exercent. Convocatio Synodi est etiam jus Episcopale, circa quod Concilium jubet omnes Exemptos, nonobstante quavis Exemptione, Synodo assistere, posito quod exemptione remota assistere debeant.

Jus Visitationis est etiam unum è juribus Episcopalibus, circa quod Autor hic plures Definitiones Congregationis laudat. *Prima* declarat, Concilium nullum tempus determinavisse ad durationem Visitationis; sed illud prudentiæ & conscientiæ Episcopi reliquisse. *Secunda*, Episcopum inceptam quorundam locorum Visitationem intermittere non debere; sed usque ad finem continuare.

Tertia quoad Visitationem, Episcopum non posse reculari velut suspectum, sive generalis illa sit, sive specialis.

Cum Concilium prohibeat in Visitatione quidvis ab Episcopo præter alimenta, aliave ejusdem ge-

neris & quartam è Legatis Piis exigì, sub obtentu Procurationis aut aliis cujuscumque juris; FAGNANUS quærit, an hæc prohibitio *Cathedraicum* contineat? Et respondet negativè, atque probat prælixè: quod ibidem Lector videat.

CAPUT XIV.

Caput 15. de temporibus Ordinationum. Caput 2. de Clericis pugnantibus.

UTrumque agit de potestate dispensandi à Canonibus, undè FAGNANUS occasionem trahit exponendi *cap. 7. Sess. XIV. & cap. 6. Sess. XXIV. de reform.* studiumque suum ad exaltationem auctoritatis Sanctæ Sedis significandi; nulla enim in re tantum Pontifici favet, quantum in argumento dispensationum. Jam attigimus Autoris verba in *cap. 2. de Cler. pugnantib.* hic tantum superest discutienda ejus tractatio in *cap. 15. de temporib. Ordin.* Ejus summam subjicio cum necessariis notis, ad distinguendum verum à falso, certum ab incerto.

Contentidit, Episcopum dispensare non posse nisi cum Jus id ipsi nominatim concedit, sive dispensationem permittendo sine reservatione, sive eam Episcopo discretis verbis tribuendo. Hæc opinio fusè confutata fuit in Regulis circa dispensationes; hic adjicere sufficit *cap. 6. Sess. XXIV.* supponere, id, quod Pontifici non reservatur, Episcopo licere; ad restituendam enim hanc potestatem Episcopo, reservationibus tantum derogat, sicut ad restituendam eandem potestatem in Exemptos, Exemptionibus derogavit; ergò putavit, id, quod Pontifici non fuerat reservatum, Episcopo licere.

Supponit, Pontificem non subjacere Canonibus Ecclesiæ, atque undè fieri, ut ab iis dispensare queat; ergò, propter contrariam rationem, Episcopus, qui iis subiectus est, ab iis dispensare nequit; quod falsum est: Nam Pontifex, cum sit Ecclesiæ Filius, perinde atque Episcopus, eidem sicut Episcopus obtemperare debet.

Contentidit, Decretum Concilii cadere duntaxat in Reservationes jam factas, non verò in futuras; quod fini Decreti, bono scilicet animarum, adversatur, quod postulat id, ut Episcopus dispensare possit & absolvere in casibus occultis, in omni re Pontifici reservatâ excepto homicidio. Excipiendi sunt casus, in quibus Pontifici Bullæ sibi casus occultos reservarunt, quod viget tantum quoad loca, in quibus illæ receptæ sunt. Meritò FAGNANUS agnoscit mutilationem non contineri sub exceptione homicidii.

Laudat Definitiones Cardinalium, quæ à beneficio hujus *cap. 6.* excludunt loca, in quibus Concilium non fuit receptum; adversus quas objici potest. 1. Posse recipi Decretum aliquod, aliis rejectis; 2. Æquum non videri Provincias, quibus statuta quædam conveniunt, iis uti non posse, nisi aliis se subjiciant, quæ sibi non congruunt, v. *Can. 2. Dist. IV.* quo dicitur, Legem, ut justa & acceptabilis sit, Regioni convenire debere. Alias circa hoc observationes proposuimus in Tractatu de *Irregularitate*. Una ex præcipuis est, nullam esse Provinciam Catholicam, quæ plura Concilii Decreta non admittat, quod sufficere debet, ut hujus Decreti beneficio fruatur. Notavimus præterea, paucas esse, quæ universa, saltem sine modificatione receperint; si autem acceptatio omnium Decretorum, prout sunt, ad hoc beneficium necessaria esset, Decretum ferè inutile evaderet. Nihil dicit Concilium, quod huic exclusioni faveat; cur igitur admitteretur? Declarationibus objectis responderi potest, has Definitiones eo tempore factas fuisse, quo multæ Regiones Catholicæ nihil omninò receperant è Definitionibus Concilii circa Disciplinam.

Alias deinceps laudat, quæ utiles sunt. Ferunt 1. Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, non gaudere beneficio hujus Decreti. 2. Idem esse de Cardinalibus quoad eorum Titulos. 3. Peregrinos